DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

SIGNIS MORTIS PROGNOSTICIS,

QVAM
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SERENISS. AC POTENT. BORVSS. REG. CONSILIAR. INTIMO,
S. R. I. NOBILI, COMITE PALATINO CAESAREO, MEDICINAE ET PHIL. NATVR.
PROFESS. PVBL. ORDIN. IMPER. ACAD. NAT. CVRIOSOR. PRAESIDE,
ET FACVLT. MEDICAE DECANO H. T. SPECTATISSIMO,
PATRONO AC PRAECEPTORE OMNI PIETATIS
CVLTV DEVENERANDO
PRO LICENTIA
SVMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME IMPETRANDI,
AD D. XXI. IVN. A. S. R. MDCCXLVII.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR ET RESPONDENS
CHRISTOPH. FRIDERICVS SELD,
NEOSTADIENS. MESOMARCH.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

SIGNIS MORTIS PROGNOSTICIS.



PROOEMIVM.

Medicum quorumlibet fere hominum confidentiam sibi conciliare, magnamque suae existimationis famam & fortunam consequi posse, si, sufficienti signorum instructus atque adiutus cognitione, non morbos solum indagare, sed eorum etiam durationem omnemque euentum aegris praedicere valet, res est, de qua dubitare omnino nefas esset, cum, si aeger conualescit, laudem sibi curatione sua comparet maiorem; si minus, calumniam saltem suo euitet praesagio, quam alias imperiti vel malitiosi rerum arbitri facilius

lius in eam coniicere possent. Verum enim vero maximopere est dolendum, hanc praesagiendi scientiam a nostri aeui Medicis parum fuisse excultam, & a plerisque adhuc plane negligi. Graecia *olim eiusmodi aluit viros, qui hanc Medicinae partem summopere excoluerunt, atque insignes in ea fecerunt progressus, inter quos* HIPPOCRATES, *&* GALENVS *praesertim, qui ab illo artem, morborum euentum praesagiendi, didicit atque in ea prae ceteris inclaruit, eminent, qui, quanti tunc temporis habiti, quantosque consecuti fuerint honores, ipsa illa honorifica, quibus* diuini *appellati fuerunt, docent nomina. Sic, cum* GALENVS EVDEMO, Romano *olim* Philosopho *celeberrimo, non febrem solum, quae ipsum corriperet, sed diem etiam, qua ab ea critica alui solutione liberaretur, praedixisset, hic ad adstantes alta acclamauit voce:* Vaticinari Pythium Apollinem aegrotantibus voluisse per os GALENI, &, quibus remediis ad sanitatem reuocari possint, &, qua die perfecte liberari deberent. *Idem celeberrimus tunc temporis Medicus,* GALENVS, Sexto Romano Senatori, *quo Imperator* SEVERVS *familiariter vtebatur, certum, quo febris ipsum inuaderet, remitteret, rediret, & per sudorem solueretur, diem praesagiuit, similisque historia, de iuuene febre laborante, legitur in eiusdem* libro de praesagitione ad Posthumum, *vbi is, cum omnes alii Medici, ad curationem vocati, sanguinis missionem suaderent, sanguinem per nares effluxurum, iuuenemque hac haemorrhagia restitutum iri, praedixit, omniaque ita, vti vaticinatus est, euenerunt.*

Longe adhuc plura, quae prudentiam GALENI, *morborum decursum praesagiendi, demonstrant, afferre possem testimonia, sed haec, ne praefationis limites transgrediar,*

grediar, faciam missa, hoc tantum monens, fieri non potuisse, quin haec omnia praesagia, quoniam praeter aliorum spem atque opinionem experientia fuerunt confirmata, magnam GALENO *aliisque Medicis, eadem futura in morbis praenuntiandi prudentia instructis, conciliarint auctoritatem & admirationem, neque hoc admodum esse mirandum: Si enim Medicus morbum, quo aeger decumbit, periculosum, nullamque, quacunque instituatur ratione, admittere curationem, praenuntiat, & euentus eius respondet praesagio, adstantes aliique non Medici culpa, sed morbi vi, quae nulla arte superari potuit, aegrum periisse iudicant; cum contra mortem, si non fuerit a Medico praedicta, eius ignorantia vel negligentia, adeoque eius culpa fuisse accersitam, certo sibi persuadeant, ita, vt, quantum laudis & gloriae in Medicum, morborum decursum atque euentum talem, qualis postea sequitur, praedicentem, redundat, tantum ignominiae eiusdem famae ac nomini concilietur, si in iudicando de morbi decursu & exitu nimis praeceps sit atque incautus, eiusque praesagium experientia postea falsum fuisse doceat. Quot non sunt Medici, qui morbis acutis afflictos, etsi multa sint virium infirmarum atque exitii signa verisimilia, magnificis tamen salutis promissis consolantur? verum postea, sicuti morbi exitus aegro calamitosus, ita Medico est ignominiosus. Nec pauci sunt, qui, cum febricitantem vident sub grauissima accessione desipere, & loqui aliena, simulque brachia & pedes nudare, ac varie spargere, tum e cubili magno impetu magnisque vocibus exsilire, proximos quosque verberare, neque necessarios, neque familiares agnoscere, caloribus extorreri, acutissimis doloribus affici, ac siti prope enecari; haec, inquam, cum vident, concocta quantumuis naturae*

viribus ea, quae morbum produxit, materia, terrore percelluntur, & pauidarum muliercularum more ad extremum rem rediisse omnem, pronuntiant. Verum facessentibus per iudicationem, quam κρίσιν *Graeci dicunt, his turbis, illico morbus resolui incipit, ac vani metus leuantur, magno falsi praesagii contemtu. Atque hinc simul sciri potest, nullum operae pretium in morborum curationibus a Medico fieri posse, sine hac tam necessaria tamque plausibili praedicendi arte. Merito igitur laudandi sunt veteres Medici,* HIPPOCRATES *praesertim &* GALENVS, *qui hac in praesagiendi arte multa vtilia nobis reliquerunt dogmata.* Prosper ALPINVS, *Marosticensis, Philosophus & Medicus celebris, libros septem*, de praesagienda vita & morte aegrotantium, *conscripsit, in quibus ars tota Hippocratica praedicendi in aegrotis varios morborum exitus, cum ex veterum Medicorum praeceptis, tum ex longa accurataque obseruatione, noua methodo elucescit. Egregius hic liber est & dignus, qui ab omnibus medicae arti addictis legatur.*

Singula ergo illa animo mecum volutans, argumentum quoddam ad Disputationem elucubrandam selecturus, signa mortis prognostica *mihi occurrerunt, quae eo lubentius suscepi pertractanda, quo minus id ea, qua fieri debuisset, cura ac sedulitate ab aliis factum fuit. Quotquot enim, quorum tamen pauci sunt, de signis mortis prognosticis aliquid memoriae tradiderunt, nullum plane discrimen inter signa mortis prognostica* certa *&* incerta, probabilia *&* improbabilia, *fecerunt, quod ita neglectum multis controuersiis ansam praebuit, ita, ut aliquae adparitiones a quibusdam pro signo mortis prognostico habitae fuerint, ab aliis vero non, & a multis mutationes quaedam*

dam corporis humani aegri pro ſigno mortis prognoſtico certo vel probabili declaratae, quae re vera nonniſi incertum vel improbabile conſtituunt ſignum. Quapropter periculum mearum virium, quid ferre valerent, quidque recuſarent, facturus, ſigna mortis prognoſtica, quae hac diatribe examinentur, digna iudicaui, non quidem eo animo, quaſi mihi ſingularem hac in re ſcientiam inani arrogarem perſuaſione, ſed ea ſolum mente, vt qualiacunque mea placita aliis, me multo doctioribus & prudentioribus, relinquerem expendenda & diiudicanda. Faxit Numen ſupremum, vt labor hic in ſui ipſius gloriam, & ſalutaris ſcientiae incrementum cedat!



§. I.



§. I.

Definitio signi & signati. Signum est ens, ex quo colligitur aliquid vel adesse, vel futurum esse, vel praeteriisse; id vero, cuius vel praesentia, vel aduentus, vel praeteritio ex signo colligitur, dicitur *signatum.* Perillustr. Lib. Bar. de WOLFF, *Ontol. lat.* §. 951. 952.

§. II.

Definitio signi demonstratiui, memorialis & prognostici. Cum signum sit id, ex quo colligitur, aliquid vel adesse, vel adfuisse, vel futurum esse §. I, patet, tres esse signorum species, prout signatum vel praesens est, vel praeteritum, vel futurum, atque hae tres signorum species singularibus a Philosophis fuerunt insignitae nominibus. Sic *signum* dicitur *demonstratiuum*, cuius signatum est praesens, seu ex quo colligitur, aliquid adesse; *rememoratiuum* vel *memoriale*, cuius signatum est praeteritum, seu ex quo cognoscitur, aliquid adfuisse; & *prognosticum*, cuius signatum est futurum, seu ex quo colligitur, aliquid esse futurum.

§. III.

Quid sit signum mortis prognosticum. Signum rei est id, ex quo colligitur, eam vel adesse, vel adfuisse, vel futuram esse §. I, & illud signum, cuius signatum est futurum, est prognosticum §. II. Qua de re signum mortis prognosticum est id, ex quo colligitur mortem esse futuram.

§. IV.

§. IV.

Si nexum, qui ſigno cum ſignato intercedit, reſpicimus, hic vel talis eſt, vt ſignum contineat rationem ſufficientem ſignati, vel non. Si prius eſt, *ſignum* dicitur *certum*, ſi poſterius, *incertum*. Omne igitur ſignum rei eſt vel certum, vel incertum.

Definitio ſigni certi & incerti.

§. V.

Cum omne rei ſignum ſit vel certum, vel incertum §. IV. ſignum mortis prognoſticum itidem vel erit *certum*, vel *incertum*.

Signum mortis prognoſticum eſt vel certum vel incertum.

§. VI.

Si, poſito eo, quod ſigni locum obtinebit, ratio aliqualis adeſt eius, quod ſignatum foret, ſignum adpellatur *probabile*; ſi nulla vero praeſto ſit ratio vel veri ſpeciem habens, *improbabile* vocatur. Omne igitur rei ſignum eſt vel probabile, vel improbabile, hinc & ſignum mortis prognoſticum.

Definitio ſigni probabilis & improbabilis.

§. VII.

Signum eſt vel ita comparatum, vt eo poſito ſignatum abeſſe poſſit, vel non. Si prius eſt, dicitur *ſignum contingens*, ſi poſterius, *neceſſarium*. Omnia igitur rerum ſigna ſunt vel neceſſaria, vel contingentia, adeoque & ſigna mortis prognoſtica.

Definitio ſigni contingentis & neceſſarii.

§. VIII.

Si talis nexus ſigno cum ſignato intercedit, vt ſignum rationem ſignati ſufficientem in ſe contineat, ſignum dicitur certum §. IV. Iam poſita ratione ſufficiente ponitur rationatum, adeoque poſito ſigno certo ponitur ſignatum,

Signum rei certum, eſt ſignum eiusdem neceſſarium, & vice verſa.

gnatum, illudque abesse nequit. Cum vero signum, quo posito signatum abesse nequit, sit necessarium §. VII; patet, signum rei *certum* esse signum eiusdem *necessarium*. Et eodem modo demonstrari potest, signum rei necessarium esse signum eiusdem certum.

§. IX.

Corollarium.

Cum signum certum sit necessarium, & necessarium certum §. VIII, signa mortis prognostica certa, sunt signa mortis prognostica necessaria, & necessaria sunt quoque certa.

§. X.

Quidnam possit esse mortis signum prognosticum.

Signum mortis prognosticum est id, ex quo colligitur, mortem esse futuram §. III. Qua de re omne id, quod in aegro deprehenditur, & ex quo colligi potest, mortem esse futuram, potest esse mortis signum prognosticum.

§. XI.

Quaenam sint signa mortis prognostica certa, necessaria, & incerta.

Si talis nexus inter signum mortis prognosticum & signatum eius, quod mors est, intercedit, vt illud huius contineat rationem sufficientem, signum mortis prognosticum est certum; incertum vero, si contrarium obtinet §. IV. Quamobrem, si vel a priori, vel a posteriori cognitum fuerit, in aegro adparitionem quandam, vel plures adparitiones, vel alia quaecunque sensu aegri interno deprehensa, rationem in se continere sufficientem mortis futurae, vel non, haec adparitio, vel plures adparitiones, vel alia quaecunque sensu aegri interno deprehensa, in priori casu dant signum mortis prognosticum certum, adeoque necessarium §. IX. in posteriori vero incertum.

§. XII.

Quaenam dant signa mortis pro-

Si signum mortis prognosticum continet aliquam eius rationem, est probabile §. VI. si nullam, improbabile

§. cit.

§. cit. Qua de re, si qua adparitio, vel plures adparitiones, vel alia quaecunque sensu aegri interno deprehensa, aliquam vel nullam plane rationem futurae mortis in se continent, constituunt signum mortis vel probabile, vel improbabile. *gnostica probabilia vel improbabilia.*

§. XIII.

Vitam tamdiu durare, quamdiu *sanguinis* & humorum *motus progressiuus* succedit, & mortem contra statim gigni, simulac iste sanguinis & humorum circuitus cessat, res est omnium notissima. Qua de re omnia ista in aegro, ex quibus certe vel incerte, probabiliter vel improbabiliter colligitur, motum sanguinis & humorum progressiuum esse cessaturum, ita vt nunquam redeat, sunt signa mortis prognostica vel certa, vel incerta, probabilia, vel improbabilia. *Ex quibus colligitur futura cessatio circuli sanguinis, sunt signa mortis prognostica.*

§. XIV.

Motum sanguinis & humorum progressiuum a cordis & arteriarum actione dependere, eaque sublata cessare, ex principiis patet physiologicis. Quaecunque ergo in aegro obuia certe vel incerte, probabiliter vel improbabiliter docent, cordis & arteriarum motum cessaturum esse, ita, vt restitui nequeat, sanguinis & humorum circulum plenarie sublatum iri eodem modo indicant. Verum ea sunt signa mortis prognostica certa vel incerta, probabilia vel improbabilia §. XIII; vnde conficitur, ea in aegro occurrentia, ex quibus vel certe vel incerte, probabiliter vel improbabiliter cognoscitur, cordis & arteriarum actionem cessaturam nec redituram esse, sunt signa mortis prognostica certa vel incerta, probabilia vel improbabilia. *Quae docent, cordis & arteriarum actionem esse cessaturam, sunt signa mortis prognostica.*

§. XV.

Cor, si sanguinem & humores per corpus propellere debet, tanta vi polleat necesse est, quanta ad resistentias, tum a sanguine, tum a vasis aliisque causis factas, vincendas, *Quae docent, resistentiam cordi creatum iri vi*

eius maiorem, sunt signa mortis prognostica.

est necessaria, atque hinc facilis elicitur consequentia, quod cordis vis, si ei tanta, a quacunque id fiat causa, conciliatur resistentia, vt illam longe superet & tolli nequeat, tunc amplius agere nequeat, sed cesset. Quae igitur cum ita sint, nullum plane est dubium, quin quodcunque in morbo obuium, ex quo colligitur, resistentiam vi cordis maiorem & talem, vt tolli nequeat, futuram esse, indicet, cordis & arteriarum motum esse cessaturum, nec rediturum, adeoque signum esse mortis prognosticum §. XIV, & vel certum aut incertum, vel probabile aut improbabile, prout illud certe vel incerte, probabiliter vel improbabiliter colligitur.

§. XVI.

Ex quibus colligitur futura respirationis cessatio, sunt signa mortis prognostica.

Sanguinis & humorum motum per totum corpus tolli, si *respiratio* cessat, veritas est, de qua dubitari nefas omnino esset. Clarum igitur exinde est, quod omne id, ex quo cognoscitur, respirationem cessaturam esse & sublatum iri, demonstret, motum sanguinis destructum iri, adeoque signum sit mortis prognosticum §. XIII.

§. XVII.

Partis internae gangraena, quae arti vel aditum, vel efficaciam praecludit, continet rationem sufficientem futurae mortis.

Si qua pars interna *inflammatione* corripitur, quae nec artis, nec naturae ope discuti & resolvi potest, illa non potest non, si non in *suppurationem* abit, summum attingere gradum atque in *gangraenam* transire, quae vero, si artis vel aditum vel efficaciam respuit, in plenariam partis mortem, *sphacelum* scilicet, migrat, & tandem totius corporis mortem producit. Ex hisce ergo omnibus conficitur, partis internae gangraenam, quae arti omnem praecludit aditum vel efficaciam, mortis futurae in se continere rationem sufficientem.

§. XVIII.

§. XVIII.

Consulto dixi, partis internae gangraenam, si vel nihil efficere valet ars, vel aditus ei denegatur, mortem esse producturam §. XVII, nec mihi rationes defuerunt, quibus commotus has adieci determinationes. Docent enim obseruationes, quod, dum vulnus abdomini inflictum, & intestinum paulo longius a pyloro dissitum laesum fuerit, hoc inflammatione, &, quae eam sequi solet, gangraena correptum, sed parte eius mortua a viuis separata conseruatum, & aeger a morte liberatus fuerit. Saepius vero gangraena, si vel maxime arti pateret aditus, adeo increuit, vt ab ea nulla salus expectari potuerit. *Scholion.*

§. XIX.

Cum partis internae gangraena, quae nec artis auxilio cedit, nec eidem aditum permittit, rationem in se continet sufficientem mortis futurae §. XVII, sequitur, vt illae corporis humani adparitiones, quae eius indolis gangraenam praesentem indicant, rationem in se contineant sufficientem mortis futurae. Iam eiusmodi adparitiones dant signum mortis prognosticum certum, siue necessarium §. XI. Qua de re corporis humani adparitiones, quae partis internae gangraenam praesentem demonstrant, sub modo allegatis conditionibus largiuntur signum mortis prognosticum certum. *Adparitiones, quae partis internae gangraenam praesentem demonstrant, si illa tolli nequit, dant signum mortis prognosticum certum.*

§. XX.

Verum enim vero partis internae gangraena existere nequit, nisi eam inflammatio antecedat, & huius symptomata necessaria sunt dolor, calor ardens, tensio, pulsatio vehemens & febris §. 370. 371. 382. *Aphor.* BOERHAAVII, *de cognoscendis & curandis morbis, & Commentarii van Svvieten.* Qua de re haec symptomata simul sumta, si mirum in mo- *Recensentur hic adparitiones, de quibus dictum fuit §. XIX.*

dum augentur & deinde, postquam sic exacerbata fuerunt, cessant, partis internae inflammationem in gangraenam abiisse satis superque testantur, adeoque sub conditione modo dicta signa sunt mortis prognostica certa, siue necessaria §. XIX.

§. XXI.

Adparitiones, quae interni sphaceli vlterius proserpentis & curationem respuentis praesentiam indicant, dant signum mortis prognosticum certum.

Si qua pars interna sphacelo corripitur vlterius progrediente, nec medelam admittente, breui tempore totius corporis mortem producet, adeoque rationem sufficientem futurae mortis in se continet, vnde illas adparitiones, quae partis internae sphacelum vlterius proserpentem demonstrant, rationem in se continere sufficientem futurae mortis, nullum plane est dubium. Iam eiusmodi adparitiones largiuntur signum mortis prognosticum certum, siue necessarium §. XI. Qua de re illae adparitiones, quae interni sphaceli, vlterius progredientis & omnem curationem respuentis, praesentiam indicant, signum mortis prognosticum certum, siue necessarium, praebent.

§. XXII.

Recensentur hic adparitiones, de quibus praecedenti §o dictum est.

Si gangraena interna vna cum suis symptomatibus necessariis, siue essentialibus, maximopere exacerbatur, grauitas motusque difficultas & impotentia adest, calor & sensus plenarie extinguuntur, & corruptio profunda mortifera ad ossa vsque vicina depascit, quod ex foetore cadaueroso cognoscitur, plurimae ex his simul sumtae, vel omnes coniunctim consideratae adparitiones, sphaceli interni praesentiam demonstrant. Nunc eiusmodi adparitiones dant signum mortis prognosticum certum, siue necessarium §. XXI. Hinc modo memoratae adparitiones vel omnes simul, vel quoad maximam partem sumtae, constituunt signum mortis prognosticum certum, siue necessarium.

§. XXIII.

§. XXIII.

Transitus ad pertractationem specialem.

Verum enim vero, ne nimis subtiliter philosophari, nudis speculationibus, vti aliqui, sed minus recte, loqui solent, immorari, & in generalioribus nimis longi esse videamur, a nostro instituto non alienum, sed ipsi admodum congruum fore iudicamus, si morbos primarios & frequentius occurrentes nostro subiicimus examini, inquirentes, quaenam in his signa mortis sint prognostica. Idcirco initium faciamus a *febre*, deinde ad varias eiusdem species aliosque morbos transgrediamur.

§. XXIV.

Anxietas cum respiratione difficili, pulsu debili & extremorum frigore, si permanet in febre, continet sufficientem rationem futurae mortis.

Anxietas, qua febris stipatur, haeret vel circa praecordia, vel hypochondria. Prior species anxietatis prouenit a sanguinis ex corde regressu impedito, atque eam ob causam difficilem respirationem, pulsum vacillantem & extremorum frigus secum fert; posterior vero ab impedito cruoris per venam portae traiectu oritur, & maximum aegritudinis sensum circa stomachum parit, in eo discreta a priori, quod in hac respiratio non adeo impedita sit, & pulsus admodum sint expediti. Iam fac, anxietatem priorem in febre permanere, nec vllis remediis tolli posse, tunc sanguis, quoniam per arteriarum fines propelli nequit, quod docet frigus anxietatem comitans, circa cor in sinubus venosis, auriculis, ventriculis, stagnabit, &, cum ex sua natura in sanissimo etiam homine adeo in concretionem pronus sit, &, quod hic maximum est, stagnando liquidissimam suam amittat partem, a crassiori secedentem, polyposas tandem formabit concretiones. Accedit, quod sanguis haec circa loca stagnans & spissior redditus, tum cordis vi, quae hic in vicinia maior est, tum febris ipsius impetu, in angustias arteriarum in visceribus vitalibus disseminatarum fortius

tius pellatur, vnde haec inflammabuntur, atque ob modo dictas rationes gangraena mortem producente corripientur. Satis igitur me demonstratum dedisse puto, anxietatem in febre, cum respiratione difficili, pulsu debili & extremorum frigore stipatam, si permanet, rationem in se continere sufficientem mortis.

§. XXV.

Si anxietas cum respiratione difficili, pulsu debili & extremorum frigore in febre permanet, signum est mortis prognosticum

Adparitio, quae rationem mortis futurae in se continet sufficientem, est signum mortis prognosticum certum, siue necessarium §. XI. Nunc anxietas febrilis, quae respirationem difficilem, pulsum debilem & extremorum frigus secum fert, continet rationem sufficientem futurae mortis, si permanet §. XXIV. Ergo est signum mortis prognosticum certum, siue necessarium.

§. XXVI.

Anxietas ab impedito sanguinis per venam portae transitu proueniens, si in febre permanet, est signum mortis prognosticum.

Cum in altera anxietatis specie impeditus sit sanguinis per venam portae transitus §. XXIV. haec, si vna cum febre persistit, hepatis obstructionem atque infarctum producet. Dum iam febrili impetu sanguis in haec loca obstructa vrgetur, non potest non vasorum destructio, humorum effusio & gangraena sequi, atque eadem ramorum venae portae obstructio in causa est, quod vasa bilis secretoria atque ductus vtriusque excretorii huius humoris comprimantur, &, bile tum ob stagnationem, tum calorem nimium febrilem citissime in corruptionem abeunte, pessima sequatur putredo; quae omnia rationem sufficientem futurae mortis in se continent. Patet igitur eodem, quo antea §. XXVI. demonstrauimus, modo, anxietatem in febre in hypochon-

hypochondriis haerentem, si pertinax vna cum febre persistit, signum esse mortis prognosticum certum, siue necessarium.

§. XXVII.

Si summus calor, qui praecordia & hypochondria inprimis affligit, in febre permanet, ille est signum mortis prognosticum.

Si summus in febre calor vrget, qui vim suam circa cor & hypochondria maxime exserit, mortem producet, si eius vehementia non cessat. Liquidissima enim ex cruore dissipat, & reliquum sanguinis siccat, densat, atque in spissam & irresolubilem materiam concrescere cogit, tenerrimos canales fluidorum valido attritu & impetu destruit, salia & olea e nexu suo liberat, attenuat, acriora reddit, vnde etiam in febribus calidissimis foetor halitus, bilis corruptae & saepe in liquamen olidissimum conuersae per aluum fluxus, vrinae acris stranguriosae foetidae excretio, sudor olidus & id genus alia obseruantur. Vbi ergo in febre summus calor perdurat, omnia ista mala subito sequuntur & breui actum erit de vita aegri, &, si calor iste praecordia & hypochondria inprimis occupat, praeter effectus iam memoratos, humores in pulmonibus vel inspissati in vltimis vasorum angustiis immeabiles haerere incipiunt, vel per auctum fluidi transmittendi impetum tenera vasa rumpuntur, atque eadem contingunt in hepate, liene, aliisque visceribus in hypochondriis sitis, quae omnia futurae mortis rationem in se continent sufficientem. Iam ista adparitio, quae mortis futurae in se continet rationem sufficientem, est signum mortis prognosticum certum §. XI; hinc calor summus in febre, qui cor & hypochondria inprimis affligit, si permanet, signum mortis prognosticum certum largitur.

§. XXVIII.

Si in febre post inflammationis cerebri signa praegressa sequitur conuulsio, fere necessarium est signum mortis prognosticum.

Si in febre, quaecunque sit, inflammationis cerebri signa praegressa subsequitur conuulsio, fere necessarium signum mortis prognosticum exinde petitur. Illud enim designat, caussam inflammatoriam adeo validam atque adeo profunde adactam esse in vasorum cerebri angustias, vt ipsa medulla cerebri afficiatur. Tota quidem curationis in cerebri inflammationibus spes consistit in eo, vt benigna resolutione concretum inflammatorium in fluorem redigatur, sed inter alia ad huius inflammationis resolutionem requiritur, vt caussa obstruens nec nimis magna, nec nimis solidata sit. Verum enim vero, si conuulsio morbum inflammatorium cerebri sequitur, certum est, vltimis corticalium vasorum angustiis impactum esse illud concretum inflammatorium, adeoque eius resolutionem vix exspectari posse, cuius difficultas adhuc inde augetur, quod arteriae his in locis tunicis suis elasticis destitutae, si vel maxime impetus a tergo versus vasa obstructa vrgens imminuatur, immeabilem humorem versus latiorem vasis partem, atque inde in maiores ramos, non valeant repellere, a quo tamen repulsu inflammationis resolutio multum pendet.

§. XXIX.

Conuulsio in febre magnas euacuationes excipiens, est signum mortis prognosticum.

Si in febre post magnas euacuationes oritur *conuulsio*, hanc non alia ratione tolli posse, quam si ista corpori restituantur, quae perdidit, ex principiis patet therapeuticis. Verum hoc in febre efficere est difficillimum. Licet enim optima quaeuis febricitantibus ingerantur, requirunt tamen, si perdita e corpore restituere debent, talem viscerum actionem, qualis in sanitate adest, quae vero in febre vel deficit, vel saltem est imminuta. Exinde ergo sequitur, conuulsionem,

nem, si post magnas euacuationes in febre oritur, plerumque mortem instantem indicare, adeoque eius esse signum prognosticum §. XI.

§. XXX.

Delirium perpetuum cum conuulsionibus, in febre summum vitae periculum portendit.

Interdum in febre, cerebro per eam affecto, *delirium* adest, illibata manente motuum muscularium exercitatione, aliquando etiam conuulsiones absque delirio in febribus obseruantur, sed rarius, & plerumque adest delirium simul, vel saltem conuulsiones antecedit. Si illud leue est & per interualla oritur, minus malum est; si vero perpetuum est & conuulsionibus stipatur, certum est indicium, omnes cerebri actiones turbari, adeoque summum adesse vitae periculum.

§. XXXI.

Quaenam in febre continua putrida sint signa mortis prognostica.

Pertractatis iam illis symptomatibus, quae in *febre* quacunque, siue in genere mortem praenunciant, ad varias febris species iam progrediemur, inquisituri in illarum signa mortis prognostica, atque a febre continua putrida, *synochus putris* dicta, initium facturi. Si in hac febre pulsus valde debilis, inordinatus, inaequalis, intermittens adest, respiratio frequentior, magis inordinata, vt modo validior, modo debilior sit, si ista cum difficultate & anhelatione peragitur, & a dolore circa vitalia viscera & partes, quae illis adiacent, haerente impeditur, lassitudo ac debilitas increscit, corporis iactatio & decubitus in dorsum extensis membris frequentior, aeger consuetis animi affectibus caret, vel contrariis afficitur, vrina crassior, rubicundior, turbidior & parcior, cum sedimento minori, vel & tenuior, magis aquosa, parcior & minus retinenda, aeger motus sen-

tit tremulos, ludit, floccos carpit, oculique luctuosiores atque involuntariis lacrymis iusto magis humectati sunt, certo concluditur, febrim acutam continuam putridam admodum esse periculosam atque in mortem tendere, & simul satis patet, eo esse peiorem & magis funestam, quo plura ex pessimis his signis simul adsunt. Vbi vero praeterea aeger somno vel plane frui nequit, vel is male cedit, siue difficilis est & turbulentus, pustulae purpureae vel liuidae corpus deturpant, hypochondria tensa sunt atque inflammata, fere moritur.

§. XXXII.

Vrina nigra, pauca & tenuis, sputum vel mictus sanguinis, si permanent in febre ardente, sunt signa mortis prognostica.

In *febre ardente* vrina nigra, pauca & tenuis, si non mutatur, continet futurae mortis rationem sufficientem, cum, quatenus nigra est, gangraenosam humorum corruptionem notet, &, quatenus tenuis & pauca abit, haec corrupta non satis euacuari, sed quoad maximam partem intra corpus restare significet. Sanguinis praeterea in eadem febre sputum vel mictus sunt itidem, inprimis, si pertinaciter subsistunt, eiusmodi adparitiones, quae causae mortis futurae sunt efficientes: Vtraeque enim a nimio, quo sanguis per vasa fertur eaque perrumpit, impetu proueniunt, eiusque praesentiam declarant; quamuis illa, quae per vrinam fit, excretio, forte inprimis ideo fiat, quod per acutissimam febrim olea & salia sanguinis acriora reddita, naturaliter per has vias eliminanda, vasa eroserint, adeoque pessimam humorum degenerationem indicet. Iam ista adparitio, quae rationem futurae mortis continet sufficientem, est signum eiusdem prognosticum certum §. XI. Ergo vrina nigra, pauca, tenuis, neque minus sanguinis sputum, vel mictus, in febre

febre ardente, ſi permanent, ſunt ſigna mortis prognoſtica certa.

§. XXXIII.

Si *phrenitidem veram* vel ſymptomaticam adeſſe certum eſt, tremor, conuulſio, dentium ſtridor, vomitus aeruginoſus, aluus & vrina interceptae, vel albae, vrina cruda, venatus floccorum volitantium, oculi pulueruIenti, ſputatio frequens & indecora in adſtantes, ἀδιψία plerumque conuulſionis praenuncia, permutatio ſymptomatum perpetua, & vlceris tumentis ſubſidentia, frequentia ſunt ſigna ſummi periculi & mortis prognoſtica.

Quaenam in phrenitide ſunt ſigna mortis prognoſtica.

§. XXXIV.

Si *angina inflammatoria*, in interna laryngis membrana muſculoſa, illaeſis aliis, haerens, non reſoluitur mortem producit, cum duo tantum ſint, in quos deſinere poſſit, exitus, *ſuppuratio* nempe & *gangraena*, qui vtrique ſunt funeſti. Si enim in ſuppurationem tendit, ſuffocabitur aeger, antequam abſceſſus matureſcere poſſit; & mortem produci, ſi in gangraenam abit, nullum plane eſt dubium. Ex his igitur omnia illa ſymptomata, quae hanc anginae ſpeciem non reſolui indicant, mortem futuram demonſtrare, conficitur. Nunc hoc manifeſtant illa ſymptomata, vt tumor, calor, dolor, febris acuta vehemens, vox clangoſa, ſibilans, inſpiratio acute dolens, reſpiratio parua, frequens, erecta, cum ſummo molimine, pulſus mire & cito vacillans, & anguſtiae ſummae, ſi permanent & exacerbantur, adeoque ſigna ſunt mortis in hac anginae ſpecie prognoſtica §. XI.

Quaenam in angina inflammatoria, internam tantum laryngis membranam muſculoſam occupante, ſint ſigna mortis prognoſtica.

§. XXXV.

Quaenam in angina, musculum album glottidis occupante, sint signa mortis prognostica.

Anginae species, in musculo albo glottidis & simul in carnosis ei claudendae inseruientibus sedem habens, rationem in se continet futurae mortis sufficientem, vnde sequitur, vt idem de illis quoque symptomatibus, quae hancce anginae sedem indicant, praedicari possit. Iam illud manifestant praeter ea symptomata §. XXXIV. recensita, dolor in eleuatione laryngis ad deglutitionem ingens & auctus, inter loquendum atque vociferandum, vox acutissima & stridula. Qua de re ea sunt signa mortis in angina prognostica §. XI.

§. XXXVI.

Symptomata, quae indicant anginae in gangraenam latius proserpentem transitum, sunt signa mortis in hoc morbo prognostica.

Symptomata, quae indicant, anginam, quaecunque sit, siue in parte nobili interna, qualis est §. XXXIV. XXXV. indicata, siue in externis haereat, in gangraenam latius proserpentem esse abituram, mortem futuram esse ostendunt, adeoque sunt signa eius prognostica §. III. Eius vero generis symptomata sunt, praeter signa gangraenae instantis generalia, §. XX. indicata & applicata ad partes obsessas, quarumque functio est laesa, tumor, rubor, dolor, prius conspicui, sine bona caussa subito disparentes, & si fauces subito aequales, laeues, siccae, glabrae & liuidae euadunt.

§. XXXVII.

Quaenam signa mortis sint prognostica in peripneumonia.

Peruenio nunc ad morbum aeque ac priores periculosum, *peripneumoniam* scilicet *veram*, quae, si vtrumque simul pulmonem & valide quidem obsederit, insuperabilem mortem infert, vnde symptomata, quae hoc indicant, rationem sufficientem futurae mortis in se continent. Haec vero

ro sunt respiratio parua, frequens, difficilis, erecta, tussiculosa, calida, debilitas summa, pulsus exilis, mollis, omni modo inaequalis, faciei, oculorum, oris, faucium, linguae, labiorum rubor insolitus, & tensionis & grauitatis in vtroque thoracis latere perceptio continuo increscens. Qua de re haec symptomata in peripneumonia vera sunt signa mortis prognostica certa §. XI.

§. XXXVIII.

De signis mortis prognosticis in inflammatione ventriculi & intestinorum.

Si *ventriculum inflammatio* obsidet, haec cognoscitur ex dolore ardente, fixo & pungente in ipso stomachi loco, eiusdem exacerbatione in ipso puncto, quo aliquid ei ingeritur, vomitu ab omni ingesto statim dolentissimo, cum singultu dolorifico, anxietate summa & perpetua circa praecordia, nec non febri acuta continua; quae symptomata, si persistunt, augentur, & conuulsionibus tandem stipantur, subitoque remittunt, mortem instare manifesto produnt, cum signa sint gangraenae praesentis. *Intestina, tenuia* maxime, frequentissime aeque ac ventriculus *inflammatione* infestantur, eiusque praesentiam declarant dolor acutissimus, ardens, fixus, per totum inflammatum locum sese extendens, diaphragmatis & musculorum abdominalium conuulsiones violentae, si irritatio accedit, aluus clausa, vomitus ingestorum citius vel tardius post assumtionem eueniens, prout inflammatio vel superius, vel profundius haesit, flatus dolentes, & tormina cum borborygmis acutissima. Talia symptomata si persistunt, facile gangraenam producunt, quam fieri docent, praeter signa iam indicata, subita & sine caussa contingens remissio acerrimi doloris, manente pulsu debili, intermittente, sudore frigido, dysenteria foetida, ci-

nericea

nericea, ichorosa, liuida, nigra, secum sine sensu dimissione, vnde breui mors placida sequitur.

§. XXXIX.

Quomodo in reliquis febribus inflammatoriis signa mortis prognostica inueniri queant.

Multae quidem adhuc restant febres inflammatoriae, in quarum signa mortis prognostica esset inquirendum, sed hoc superuacaneum mihi esse videtur, cum, si ex his mors sequi debet, necessario inflammatio in illis praesens in gangraenam & exinde in sphacelum abeat, necesse sit. Nunc in antecedentibus signa inflammationis praesentis, gangraenae & sphaceli imminentis generalia, indicaui §. XX; qua de re, si quis signa mortis prognostica in quadam febre nosse & indagare cupit, saltem ad hanc signa generalia inflammationis praesentis, in gangraenam & sphacelum abeuntis, applicet, & inquirat, num gangraena & sphacelus arte auerti possint, nec ne, & sic facile in quacunque febre inflammatoria signa mortis prognostica inueniet, praecipue, si symptomata febris inflammatoriae, a singulari affecta parte prouenientia, probe cognita habet, & a se inuicem rite distinguit.

§. XL.

Quaenam in febribus exanthematicis sint signa mortis prognostica.

Pertractatis signis mortis prognosticis in febribus inflammatoriis, ordo nos ducit ad signa mortis prognostica in *febribus exanthematicis* consideranda. In genere igitur notandum est, quod in hisce febribus materiae exanthematicae retrocessio, nec subsequens expulsio, futurae mortis rationem contineat sufficientem, eiusque signum sit prognosticum §. XI. Sic erysipelas in externis partibus adparens, sed retropulsum & intra corpus haerens, purpura disparens & intus manens, mortem producit, atque idem de petechiis verum

verum eſſe, nullum plane eſt dubium. Deinde hoc in febribus exanthematicis eſt ſignum mortis prognoſticum, ſi materia exanthematica, cuius praeſentia certa eſt & indubia, ad corporis ſuperficiem propelli nequit, ſed intus haeret, quod tunc inprimis fieri ſolet, ſi naturae vires, ad actum hunc perficiendum neceſſariae, deficiunt.

§. XLI.

De ſignis mortis prognoſticis in morbis malignis.

Febres praeterea *malignae*, vel alii, qui malignitatem fouent, morbi, vitam in ſummum adducunt diſcrimen, ſed, quia plerumque lenioribus ſtipati incedunt ſymptomatibus, ſaepius Medicis imponunt, vt in praeſagio ferendo fallantur. Patet vero ſimul, quod illa ſymptomata, quae magnam in morbis malignitatem indicant, ſi permanent & augentur, ſigna ſimul ſint mortis prognoſtica, & eiusmodi ſymptomata ſunt frigoris & caloris acceſſio & viciſſitudo, atque ſub hoc ſitis abſentia, virium nimia proſtratio, frequens animi deliquium, in ſitu aegri erecto plerumque contingens, pulſus languidus, frequens ſimulque contractus, ſomnus nullus, ſed perpetua ad eum inclinatio, &, ſi forſitan eueniat, maiorem virium languorem inferens, nulla de dolore, ſiti, vel alia moleſtia querela, inquietudo, frequens corporis iactatio, extremorum algor & pulſus ſaepe intermittens.

§. XLII.

Haemorrhagia quando euadat ſignum mortis prognoſticum.

Si *haemorrhagia* vel tanta ſequitur, vel toties recrudeſcit, vt tantum ſanguinis, quantum ad vitam conſeruandam requiritur, effundatur, nec id per ingeſta reſtitui poſſit, quin mors prius, quam hoc fiat, ſequatur, eius aduentus rationem continet ſufficientem, adeoque ſignum eſt mortis

prognosticum §. XI. Contingit autem hoc plerumque in infelici abortu, haemoptysi, vomitu cruento, vel morbo nigro Hippocratis.

§. XLIII.

Signa polypi inueterati sunt signa mortis prognostica.

Polypum inueteratum nullam plane admittere medelam, sed mortem inferre, quibuscunque tractetur remediis, veritas est, quae tam ratione, quam experientia est confirmata, vnde sequitur, vt symptomata, quae eius praesentiam indicant, mortis futurae rationem in se contineant sufficientem. Nunc maior, diuturnior, & frequentius sine manifesta caussa recurrens cordis palpitatio, pulsus inaequalis & intermittens, cum lipothymiis saepe iunctus, frequentius respirationis, sine manifesta caussa, impedimentum, praecordiorum compressio, &, qui huic plerumque iungitur, dolor circa cor fixus, polypi praesentiam demonstrant; hinc, si iam diu aegrum adflixerint & adhuc permanent, dant signum mortis prognosticum certum §. XI.

§. XLIV.

Signa mortis prognostica in phthisi quaenam sint.

Neque minus in *phthisi* febris hecticae continuum incrementum, cum pulsu debili, genis rubentibus, calore ad superiora acri, facie Hippocratica, debilitate summa, corporisque totius consumtione, summa respirationis cum metu suffocationis difficultas, anxietas circa vesperam vehemens, sitis magna, sudor nocturnus ingens, pustulae rubrae, pedum manuumque a parte affecta tumor, vox rauca, odor cadauerosus ex ore spirans, capillorum defluuium, pruritus in toto corpore cum pustulis aquosis, diarrhoea flaua, foetida, puluerulenta, cadaverosa, frequens, debilitans, & denique sputi suppressio, mortem in propinquo esse manifesto produnt.

§. XLV.

§. XLV.

Qui *aſthmate* pereunt, idemtidem ſuffocatione pereunt. Variae eius dantur ſpecies, vna naſcitur ex hydrope pectoris, dum ex ruptis hydatidibus humor effuſus pulmonum liberam expanſionem impedit, vt nec aër ingredi, nec ſanguis pulmones tranſire poſſit; altera ex interiori bronchiorum tunica, a tumore glandularum, quibus copioſe obſita eſt, ita anguſtata, vt reſpiratio legitime fieri nequeat, prouenit, & tertia conuulſiuum ſpasmum, bronchia concutientem & coarctantem, vt aegri ſtrangulatione miſere intereant, pro cauſſa agnoſcit. In omnibus hisce aſthmatis ſpeciebus ſumma reſpirandi difficultas, pulſus inordinatus ac inaequalis, ſibilus ac ſtrepitus in pectore, frequentior corporis iactatio, praeſto ſunt, & nihil niſi ſpumoſi aut cruenti quidpiam protruditur, tandemque, extincto ſucceſſiue calore naturali in corporis extremis, ſyncope & ſuffocatio vitae imponunt finem, teſte celeberrimo b. m. HOFFMANNO, in *Med. ſyſtem. Tom. III. Sect. I. cap. XV. §. XV.*

De ſignis mortis prognoſticis in aſthmate.

§. XLVI.

Inter morbos chronicos eminent praeſertim *cachexia* & *hydrops*, qui funeſtum ſuum exitum certis ſignis antea, quam ſequitur, manifeſtant. Aegri, qui cum his conflictantur morbis, ex viſcerum corruptione, ab his producta, pereunt. In *cachexia* corporis tumor ac pallor, paulo poſt in virideſcentem & nigrum colorem tranſiens, ciborum faſtidium, vomitus male olens, aluus obſtructa, vrina cruda & pauca, reſpirationis difficultas, hypochondriorum tenſiones, partium intumefactarum durities, virium inſigne decrementum, & aduerſus odor e corpore ſpirans, ſi perſiſtunt & augentur, mortem praenunciant. In *hydrope* exitum funeſtum

Signa mortis prognoſtica in cachexia & hydrope.

praesagiunt, dyspnoea, sitis, orthopnoea & ardor cum tussi, vrina pauca, valdeque rubra cum sedimento, ac adpetitus prostratus & diarrhoea. Si ascites est, erysipelas in cruribus proueniens, ruptura in pede post perbreue leuamen, funesta sunt signa, item lethalis est hydropis exitus, si aeger polypo laborat, vel febre quartana laborauit ac peruerse fuit curatus.

§. XLVII.

Quomodo in reliquis morbis, & praesertim chronicis, signa mortis prognostica detegantur.

Omnes morbi chronici eos, quos detinent, viscerum labe & corruptione, quam producunt, interimunt. Quapropter, qui signa mortis prognostica in quocunque morbo chronico nosse cupit, illorum symptomatum notitiam sibi comparare debet, quae funestam viscerum corruptionem & labem indicant, atque attendere, num haec in praesenti morbo chronico adsint, an non. Hac etenim ratione facile signa mortis prognostica in hoc morbo detegere poterit. Indicia vero viscerum in inferiori ventre corruptorum sunt, adpetitus plane prostratus, cum fastidio alimentorum, quibus sani delectati fuerunt, febris lenta in hecticam transiens, summus virium cum respiratione difficili lapsus, somnus valde laboriosus & plus debilitans, quam reficiens. Idem quoque est obseruandum de aliis morbis, qui non proprie ad chronicos pertinent; hi enim mortem aegris adferunt non alia ratione, nisi inflammatione in gangraenam & sphacelum transeunte, vel sphacelo producto.

TANTVM.

S. D. G.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO
CANDIDATO
S. P. D.
PRAESES.

Quamuis negotiorum iam peragendorum varietas & multitudo facile me excusare posset, si, dum TVVM litterarum cursum ad finem perducis exoptatum, & honores, qui TIBI in arte medica decreti sunt, summos capessis, publico gratulandi officio non perfungerer; nihilo minus tamen a me impetrare haud potui, vt TE iam dimitterem, nec simul mentem meam pro ea, quae mihi suppetit, temporis copia, publice declararem beneuolam. Septimus, ni fallor, iam praeterlapsus est annus, ex quo celeberrimam hancce musarum sedem frequentasti, atque medicinae excolendae summam nauasti operam. Illustris b. m. HOFFMANNI, celeberrimi itidem pie defuncti SCHVLZII, experientissimi IVNCKERI aliorumque, quibus Fridericiana nostra ornatur, Doctorum de medicina optime meritorum, itemque & meis adsidue interfuisti praelectionibus, atque ex iis adeo profecisti, vt non tantum sperare, sed plane etiam confidere liceat, fore, vt nobilissimae, quas apud nos imbibisti, scientiae, in veram aliquando generis humani cedant felicitatem. Neque spem & opinionem, quam de TE conceperam, fefellisti, sed potius confirmasti, imo plane superasti, cum mihi melius innotesceres & solennia sustineres examina. In his enim TE talem

exhi-

exhibuisti, qualem exoptare poteram, ita vt omnium idcirco consecutus fueris adplausum & commendationem. Tradidisti mihi TVAM, quam publice defendes, Dissertationem, antequam prelo committeretur, perlegendam ac emendandam, sed parum vel nihil in illa mutaui & potius admodum delectatus fui, cum sub eius perlustratione deprehenderem, TE de nulla re loqui, nisi suppeditato prius conceptu claro & distincto, nihilque adfirmare, quod non concatenatis ratiociniis demonstres, atque certis Medicorum obseruationibus confirmes; id quod eo magis laudari meretur, cum argumentum TVAE Dissertationis sit ex praxi desumtum, in qua multa adhuc obscura & confusa deprehenduntur, atque ita etiam ab aliis exposita obseruantur, vt nihil fere claritatis aut certitudinis exhibeant. Non possum itaque non TIBI de felici vitae TVAE academicae exitu & de honoribus in arte medica summis, tanquam legitimis TVAE diligentiae praemiis, gratulari. Deus T. O. M. fortunet omnia, quae suscepturus es, felici successu, TEque in TVORVM laetitiam & aegrotorum emolumentum omni prosperitatis genere affluentem reddat & conseruet. De me illud TIBI persuadeas, nihil mihi iucundius posse accidere, quam crebrum de TVA prosperitate rerumque TVARVM fausto successu nuncium; iucundissimum autem fore, si qua re ostendere possem, me TVI esse studiosissimum atque amantissimum. Dabam Halae Magdeb. d. XX. Iun. MDCCXLVII.

